

VIRO,

PERMAGNIFICA AVTORITATE,  
GENERIS VIRTUTVMQVE NOBILITATE,  
ERVDITIONIS EXCELLENTIA,  
OFFICII GRAVITATE,  
CONSILII DEXTERITATE  
AMPLISSIMO,

DOMINO,  
**DNO. SAMVELI**  
**ROGGE,**

PRAECONSULI, LEGATO PRAESIDIS,  
ORPHANORVM CVRATORI SUPREMO, BELLI AR-  
MORVMQVE PRAEFECTO SVMMO HACTENVS  
MERITISSIMO,

PRAESIDIS OFFICIVM,  
SENATVS PERMAGNIFICI  
VOTIS

A. S. R. MDCCLVIII, D. 8 MARTII

RITE VSCEPTVM,

GRATVLANTVR

**MVS A E DRVSIDOS,**  
CONCORDI OMNIVM SENSV,

VNO STYLO

M. IACOBI WOIT,

PROF. ET GEOM.

ELBINGAE, TYPIS NOHRMANNIANIS.

# Apostolus Paulus, ex Triga Quæstionum Mathematico-Biblicarum evictus Mathematicus.

**N**on ipse solum gentium Apostolus Paulus prædicat, se ad pedes Garnalielis educatum juxta accurationem legis paternæ fuisse institutum: sed scripta quoque ejusdem theopneusta omnia & singula testimoniis referta sunt luculentissimis, ipsum in omni genere eruditionis humanæ fuisse versatissimum. Longus, immo vix uni exhauriendus foret labor, qui vastissimum eruditionis omnigenæ emetiens campum, indagines hujus in scriptis d. Pauli latitantes, rimari veller circumspicere.

Intra Matheseos solum subsistentes cancellos, quot non scientiæ hujus ibidem in propatulo sunt vestigia, ex quibus sole meridiano patescit clarus, Virum hunc vere theodidactum Mathematum quoque cognitione haud proletarie fuisse imbutum. Desudarunt jam dudum in hocce demonstrando oppido plures, quos ordine jamjam recensere haud juvat, quippe qui oracula quam plurima Codicis S. ex Mathesi illustrantes, e scriptis Paulini quoque Phraseologias Mathematicas, Vasi huic electo veritates coelestes Auditoribus suis proposituro pariter ac illustraturo admodum solemnes, omni studio collectas in maximum Philologiae S. emolumentum enodarunt mathematice. Ast quis non hic restat campus, omni nondum ex parte pervestigatus?

Absit ut me labori huic satis difficulti perficiendo glorier parem: quin potius leve saltem in praesenti tentabo periculum, & spicilegium quasi post messem instituens ex *Triga Phraseologiarum Mathematicarum d. Paulo propriarum*, quas ad Methodum Cel. Wideburgii in *Mathesi Biblica* per totidem *Quæstiones* proponam, *Paulum evincam Mathematicum*. Sit itaque

## Quæstio I Architecturæ Civilis.

1. Cor. III. 10 sqq.

*Quænam sunt munia Architecti sapientis?*

Apostolo Paulo ipsomet afferente se in fundamento Corinthi ponendo *Officia Architecti sapientis exacte observasse*, quis Mathematici titulo illum auderet privare.

Consistunt autem munia Architecti, uti ex eadem sat notum est *Disciplina Mathematica*, non solum in eo, ut ipse ad mentem ædificium extrui curantis, Soliditatis, Commoditatis atque Pulchritudinis probe habeat rationem, sed noverit quoque necesse est, quæ cujuslibet materiei ad ædium exstructionem requisitæ natura viresque sint, tum quid & qua optime ratione quivis opificum suam ad elaborationem domus conferre valeat operari, & quæ sunt reliqua.

Dum itaque Apostolus affirmsat, fese peritum hocce in negotio imitatum Architectum, quis dubitaret ipsum ad hæc Ædilis allusisse munia. Præsertim dum eandem in sequentibus continuat allegoriam & gloriatur, se in eis quæ ad fundamentum fidei Corinthi ponendum desiderari possent, nihil fecisse reliqui, omniaque & singula supra commemorata ædificii perfecti requisita in fundamento Ædis hujus Spiritualis jaciendo, maximo cum emolumento Auditorum observasse. Christum nimurum angularem lapidem illis proposuisse graphicè, fidem in illum ipsum, unum salutis medium inculcasse diligentissime, eosque docuisse semet ipsos instar lapidum viventium in domum spiritualem coagmentare scienter, & quæ sunt cætera.

Quemadmodum vero domum sibi erigi procurans, pessime omnino sibi prospiceret, si incurius plane, Architecti cuncta relinquenter dispositioni, nec ipsem attenus esset, ut singula ad summam perficiantur exactitudinem: Ita quoque Paulus in subsequentibus Corinthios extimulat, ut probe attendant; quæ & qualia quilibet successorum suorum fundamento hūic rite a semet ipso jacto esset superstructurus, eaque omnia ad lapidem lydium, fidem nempe in Christum, ad exemplar Beroensium quondam, qualibet examinatione occasione.

## Quæstio II Pyrotechnices.

Ephes. VI. 10 sqq.

*Quænam sunt arma prisci feeuli?*

Quis pollicem mihi non premeret afferenti Paulum Matheseos fuisse gnarum, ubi ipsum universam Militis Christiani Panopliam tam graphicè legit describentem, acsi per annos continuos in martis castris meruisset stipendia. Quodsi enim Ars illa militaris, alias

*Pyrotechnica dicta, Scientiis Mathematicis jure annumeratur: indoles quoque & natura panopliæ in Christi castris militiam exercentis, ex eadem hac scientia ad genium illius seculi accommodata perspici poterit longe clarius.*

*Requirit vero Apostolus, ut sub vexillo Sospitatoris dimicaturus se sistat Primum Circuminctus lumbos cingulo veritatis. Milites gentium orientis prælongis plerumque amictos fuisse vestibus lippis notum est ac tonsoribus, quas vel inter eundum vel dimicandum Cingulo quodam prælato & consolido lamine sive ferreo, sive oricalceo, sive etiam argenteo distincto subcingere solebant. Quemadmodum itaque milites hoc cingulo utebantur, modo ut vires corporis coarctarent, modo inferiores corporis partes illo munirent, modo impedimenta sibi inter eundum vel dimicandum ex tunicis ejusmodi proximis orta remoyerent: ita simili quoque ratione veritas & doctrinæ & vitæ cingulo hocce ab Apostolo indigitata, Christianos & expeditiores reddit ad stadium suum citato gradu emetendum & fortiores ad omnis generis insultus hostium repellendos læsionesque evitandos.*

*Post injungit ut Christi miles Thoracem justitiae sit induitus. Thorax Germanorum majoribus ob similitudinem cancerorum, cancer, vulgo ein Krebs, etiam dictus, præcipuum superiorum in corpore partium fuit munitum, ne pectori, cordi, vel pulmonibus vulnera, ut plurimum lethalia, possint infligi. Est vero thorax justitiae a Paulo Christi asseclis hoc loco commendatus, non nisi Justitia Christi, quæ peccatorem justum coram DEO Patre promulgatum omni ex parte præstat securum, contra omnis generis aggressus hostium infernalium atque veram fidei ipsis largitur plerophoriam.*

*Descendit dein ad pedes atque docet eos Calceare promptitudine Evangelii vel prædicandi Evangelium pacis. Otreas vel Calceos cujuscunque denique sint vel formæ vel figuræ, pedes viatorum æque ac militum munire, ne impedimenta, (quæ in itineribus incultis præsertim a sentibus, carduis atque animalibus venenatis multificarii sunt generis,) quicquam illis officiant, notum est cuilibet. Quodsi itaque Christiani angustam a Christo & monstratam & commendatam viam carduis atque sentibus tentationum, tribulationum atque persecutionum obsitam decurrere præoptant feliciter, necesse est omnino, ut ocreis quasi, i. e. ingenua professione veritatis Christianæ & spontanea perpessione omnis generis cruciatuum sint exornati.*

*Tum manibus quoque de necessariis prospicit armis siquidem injungit bellatori Salvatoris, ut Assumat scutum fidei, quo possit omnia tela malitiosi ignita extinguere. Scuta diversa admodum tam formæ quam materiæ ratione priscis fuisse temporibus Antiquitatum cum sacrarum tum profanarum fuse nos docent Scriptores. Longum esset singula ordine si describeremus, quare sufficiat hoc unum monuisse, omnia & singula adhibita fuisse, ut corpus contra hostium tela protegerent, atque sub vinea ex scutis consertis instructa, inulti in hostium incurrerent munita. Atque ejusmodi scutum longe tutius est fides, quippe quæ DEO ejusque verbo divinitus patre facta fiducia inconcussa tam firmiter inhæret, ut quicquid etiam satanas vel vi vel astu, vel aperte vel clam, vel ab extra vel ab intra moliatur, ne latum illi cedamus unguem vel victi herbam præbeamus, sed superiores potius semper ex proelio hocce discedamus spirituali. Quare autem tela malitiosi scuto hoc fidei propellenda ignita nominet, haud difficile est subodoratu, siquidem ex re militari veterum constat, inter alia teloruin genera quoddam sub nomine *Facis* venisse, id quod pice, bitumine s. alia ignem facile concipiente materia illitum ignique admotum in hostes emittere fuere soliti, quoddam etiam veneno tinxisse, quo homines vulnerati toto intumuerent corpore & dolorem senserunt haud dissimilem acsi igne essent adusti. Quid vero indolem atque naturam temptationum spiritualium sæpe intollerabilium malitiosi h. e. satanæ versutia plenissimi adumbrat exactius, quam ejusmodi tela ignita & venenata, quippe quæ ignis vel veneni instar animam intime penetrant, vulnerant, enecantque atque piis plusquam infernales caussant angores.*

*Porro Christi exhortatur promachos, ut Accipient galeam salutis, h. e. spem indubitatam se vitæ æternæ hæredes in hac miseriaram valle non ultra vires tentatum iri, sed tandem victores in coelo triumphaturos. Spem vero hanc dicit *Galeam* ob maximam utriusque similitudinem. Juvabit quasdam vel tribus adduxisse verbis. Illa ex metallo constata durissimo, hæc talo insitit firmissimo: Illa a parte anteriore aperta, hæc non coeca, sed solidum intellectus involvit judicium: Illa capiti firmiter alligata, hæc vinculo fidei, amoris ac virtutum Christianorum corroboratur: Illa pennis variegati coloris exornata, hæc sanguine & innocentia Christi superbit: Illa pugnantes reddie securos in proelio; hæc pios sicut lætos & erectos in omni afflictione.*

*Ultimum tandem ex Armamentario Christianorum depromptum Instrumentum bellum a d. Paulo strategis spiritualibus suppeditatum est *Gladius spiritus*; quod est verbum DEL. Atque sic est, quid Gladio hoc anticipi esset secantius? Quippe qui ipso alias affirmante*

Apostolo penetrat usque ad divisionem animæ & spiritus compagum quoque ac medullarum & discretor est cogitationum & intentionum cordis. Æque enim ac gladium manibus vibramus, partim ut nos ab hoste defendamus, partim ut illum aggrediamur; Verbum quoque DEI & defendit nos contra omnis generis aggressus satanæ mundi & nostræ carnis, validosque nos reddit, ut contra principem hujus seculi ejusque assecias & regnum gladio hoc spiritus insurgamus fortissimi, illique victoram eripiamus ex victoria.

### Quæstio III partim Architecturæ militaris, partim Stereometriæ.

Col. II. 5.

In quo consistit Tactica veterum, quæque natura Corporum Stereometricorum?

Duplici oraculum hocce evincit argumento d. Paulum fuisse Mathematicum. Quando enim Colossensium ordinem Taxin eorundemque fidei fundamentum Stereoma nuncupat, quis assertum hoc vero esse consonum contra iret negatum?

Quod primum ad vocabulum Taxin; quem quæso fugit, Artis militaris partem illam specialem, quæ Tactica vulgo inscribitur, neque veteribus prorsus fuit ignota, ut ex Polybio, de militia Romana constat, ab hoc vocabulo suam trahere denominationem. Suppediat autem hæc scientia regulas de castris metandis, acie instruenda & hujus generis plura. Ubi itaque Apostolo in epistolis maxime est solemne, ut Ecclesiam Christi passim Militiam nuncupet, cui erit mirum ipsum hoc etiam in passu terminum ex Arte Militari depromptum ad spiritualem applicasse militiam. Simulac enim Gentium Doctor gaudio plenus audierat, Colossenses ad modum belli peritorum scire sequi signa, ordines servare, in acie stare, obsistere, circumire, discurrere in cornu pugnamque mutare, eosdem Dicis instar peritissimi exhortatur, ut porro munia militis boni diligenter explerent, excubiasque sollicitè agerent, ne ulla occasione ab hostibus opprimantur spiritualibus.

Altera autem vox nimirum Stereoma, in Geometria ejusmodi applicatur figuris, quæ triplici gaudentes dimensione, Longitudine nempe, Latitudine & Profunditate, firmissimæ sunt consistentiæ, nec facile loco suo possunt dimoveri. Quando itaque dicit se gaudere, quod coram quasi videat, fundamentum fidei ipsorum in Christum instar Prismatis, Parallelepipedi vel Cubi basi sue immotum insidere, in simul eos exstimulat, ut fidem propriam satis quidem a se fundatam in dies magis magisque stabilire annitantur, ne forte fortuna illa excidant, vel naufragium illius ulla patientur ratione.

Ignoscas quæso, VIR PERMAGNIFICA AVTORITATE, GENERIS VIRTUTVMQVE NOBILITATE atque OFFICII GRAVITATE AMPLISSIME, me Athenæi Drusici Interpretē qualemcunque, rusticos homines imitari, qui vomeres suos armentitumque pecus enumerant, vel fabros, qui incudes folliumque spiracula semper habent in ore, ubi Universus Musarum Chorus in TVVM jamjam procedit conspectum, Novos TIBI, PRAESIDIS GRAVISSIMI Honores summa cum veneratione gratulatum. Audis MAECENAS OPTIME undique gratulationes, vota atque suspiria, quas lætitia communis in fronte bonorum signavit. Juvandus enim votis singulorum, qui universorum juvabit vota. Audiat pro Salute Sua aliorum suspiria, qui pro aliena salute audiet desideria. Musæ ad gloriam obsequii debiti TIBI MVSAGETAE Suo deferendi, non patiuntur TE hoc festo die inornatum, sed more antiquo, ne jam penitus antiquato TIBI, PRAESSES GRAVISSIME, pie mecum acclamat: Feliciter! Tristem equidem temporum presentium pensantes nubem, quæ Patriæ incubat vertici, futurosque eventus ex presentibus dimentientes; formidolosa sane, TIBI, VIR PERMAGNIFICE, imponitur moles, quæ vel Herculis humeros redderet titubantes. Ast ubi considerabis, TE in hoc Reipublicæ tempus non casu incidunt fortuito, sed Omnipotentis venisse Nutu, eundemque PRAESIDIUM TVVM in hoc discrimen rerum contulisse: Animus TIBI accedet, nullusque hastabis onus hocce, quod novo cum honore in TE jamjam devolvitur, humeris fuscipere intrepidis. Capesse itaque feliciter & ex voto Reipublicæ Nostræ Clavum. Adi honorem, ut adiisse non sit oneri. Subi onus, ut subiisse sit honori. DEVIS ter Optimus Maximus, qui TE fessis PATRIÆ rebus dedit PRAESIDEM, Ipse sifstat sese murum æneum circum circa Patriam Dulcissimam atque excubias agat, ne Curia, Ecclesia, Gymnasium atque Cives ullum in prerogativis & splendore sentiant detrimentum. Consolidet TE, FAMILIAMQVE TIBI GENEROSAM, ut Cubum immotum in cava usque tempora. Instruat TE muniis Architecti Reipublicæ sapientis. Exornet Spiritum TVVM omni Christicolarum Panoplia Spirituali, ut & Corporis Viribus fortissimus, cunctis licet maximis superioris insultibus feliciter. Spes est in eo, qui & infirmis addit robur, DEO nempe uti Omnipotensissimo ita & Clementissimo. Ille ut TE juvet, juvabimus boni. Juvabimus quibus possumus votis. Juvabit Ipse, Gratia, Doris, Opere, ut quoties VIRO erit opus, VIRVM TE praestare possis FELICITER, CONSTANTER, GLORIOSE.